

in testibus de visu *contestibus*, virtutes et martyrium non bene probantur ex dictis Historicis primi et secundi gradus; et tanto minus ex Historicis tertii et quarti gradus. In istis enim causis non habent vim nisi adminiculi, majoris tamen, vel minoris juxta regulam auctoritatis, et fidei ipsis præstante secundum suum gradum superius assignatum. Idem ib., n. 12.

Qui tamen postea, ut diximus, ad Summum Pontificatum assumptus, per decretum generale die 22 Aprilis 1741, editum mandavit, ut in posterum in causis beatorum procedentibus per viam cultus immemorabilis admitteretur probatio subsidiaria virtutum aut martyrii ex testibus de auditu, aliisque adminiculis; cujusmodi probatio admitteretur etiam in causis servorum Dei procedentibus per viam non cultus, semoto tamen dolo et culpabili dilatione. Et præterea decrevit, ut in causis beatorum per viam cultus immemorabilis procedentibus, probatis virtutibus aut martyrio per testes de auditu adminiculandos, non duo in posterum, sed quatuor pro canonizatione miracula per testes de visu probari debeant: idemque servandum pro beatificatione servorum Dei in causis procedentibus per viam non cultus, probatis virtutibus aut martyrio per testes de auditu, ut supra, adminiculatos.

(23. Historiæ de virtutibus, et martyrio non sunt contemnendæ, etiamsi in eis aliquæ conciones ad encomium sanctorum insertæ sint, quas certum est non fuisse habitas, seu factas a dictis sanctis; nec etiam contemnendæ sunt, etiamsi unus vel alter error in eis inveniatur, dummodo tamen eorum auctores probi sint, prudentes ac fide digni. Idem ib. c. 9, n. 3 et 4, ex Baronio, Bollandio, Mabillonio et aliis ibi allegatis.

(24. Historici probant, nec unus dicitur alteri contrarius, licet sint ejusdem ætatis, et unus ex his referat id quod non refertur ab alio. Idem ibid. cap. 7, num. 5, concludens cum verbis Castellini De inquisit. miracul. in causis martyrum, pag. 64, ubi ait: « Regulariter, et ordinarie esse usitatum apud scriptores, etiam ecclesiasticos, ut unus vel alter non exprimat omnia, et singula gesta alicujus viri Dei; sed quod unus omittit, alter vero refert; quod observarunt etiam Evangelistæ scribentes gesta Salvatoris nostri; nam quod unus omisit, alter explicat.»

(25. Historico posterioris ævi, si aliquid referat, de quo tacuerunt omnes alii antiquiores, et classici Historici, nulla est præstanda fides, nec concedenda auctoritas. Communis cum eruditissimo Baronio ad annum 237, ubi sic expresse habet: « Non audiendi penitus recentiores quidam; qui post Pontianum introducunt Cyriacum quemdam pontificem, cujus nulla prorsus exstat

(47) De hac fabula, quam plurimi refellerunt, consules cum primis Labbei Cenotaphium Joannæ Papissæ, et insignem Josephi Garampi nuper sacra purpura a Pio VI, plaudentibus bonis omnibus, donati de Nummo argenteo Benedic. XIII, dissertationem Romæ 1759 evulgatam. (ED. BARBIELL.)

(48) Quid de Martino Polono, num scilicet primus in

mentio in serie romanorum Pontif. vel apud Optatum Milevitanum, vel Augustinum, vel Cresconium, aliosve indices Vaticanos, nec apud Græcos, ut Eusebium, Nicephorum, vel alios: adeo ut ne digna quidem sit, quæ pluribus confutetur sententia, quippe quæ nulla penitus nitatur ratione, vel testimonio antiquorum, » ac sapientissimo Ludovico Antonio Muratorio Anecd. tom. II, cap. 21, sic præcise dicente: « Et quo pacto, amabo, commenta, fabulæque explodi atque exhiberi possent, quæ in posteriorum temporum Historias irrepserunt, nisi antiquorum silentium pluris, quam imperita audaxque recentiorum loquacitas, ponderetur? Affirmant hi ad arbitrium suum, gesta que a temporibus suis remotissima somniant: illi vero ne volam quidem, vestigiumque earum rerum reliquere, relicturi sane, si illarum notitiam habuissent. Et nos affirmantium potius imperitia quam tacentium doctrina duci sinemus? »

(26. Et a fortiori nulla est præstanda fides Historico asserenti aliquid, de quo inter alios Historicos est communiter receptum contrarium, ut exemplificari potest in Benvenuto de Imola nel Commentar. in Dante impress. Pisauri a Christophoro Berardo, fol. 1467, ubi asserit quod perfidus Mahometes fuerit habitus ad cardinalis Romæ, ac missus in Africam ad prædicandam fidem catholicam, ad quam sua singulari gratia et eloquentia fere totam illam gentem reduxerat. Ob quod cardinales ei promiserant, quod, decedente Summo Pontifice, ipsum eligerent: at secuta dicta morte, alio ab ipsis electo Summo Pontifice, indignatus ille, cœpit omni conatu contrarium prædicare, ac totam illam nationem seduxit, atque ad falsam sectam Saracenorum reduxit; quod totum falsissimum est et mere chimericum ab omnibus communiter Historicis impugnatum, ut videre est apud Ursayam Institut. Crimin. lib. iv, tit. 8, n. 120 et seq., ubi totum id refert. Sic nullimode est credenda fabulosa Historia de Joanna Papissa (47), quicumque fuerit primus ejus inventor, sive Martinus Polonus (48), sive Marianus Scotus, sive Sigebertus, ut aliqui volunt, sive alii, ut alii prætendunt, sive probabilis hæreticorum fraus et malitia, qui in derisum sanctæ Romanæ Pontificiæ sedis dictorum Historicorum scriptis fabellam hanc inseruerunt ut eruditissime suo more advertit Summus Pontifex Benedictus XIV, in cit. tom. III, cap. 10, n. 4. Item totaliter deridenda et explodenda est fabula de malignissime excogitata, et falsissime asserta infelici prætensa morte Subtilissimi V mei Joann. Duns Scoti, quem Bzovius secutus Paulum Jovium, refert infelici vitæ exitu fuisse extinctum, eumque comitiali morbo

Chronicon suum Joannæ Papissæ fabulam intulerit, sentiendum sit, non vacat operosius inquirere. Vide tamen, si placet, Franc. Antonii Zaccaria dissertationes italicas de rebus ad Historiam ecclesiasticam pertinentibus, tom. II, pag. 502. (ED. BARBIELL.)

laborantem, et nimis festinato funere clatum, cum redeunte vita, sero morbi impetum natura discuteret: frustra miserabili mugitu opem petiisse, pulsatoque diu lapide, eliso tandem capite, miserabiliter periisse. Et sic de pluribus aliis Historicis consimiles evidentes falsitates ac fabulas referentibus, quæ adeo evidenter falsæ, ac chimericæ communi veridicorum Historicorum sensu habentur, ut nec confutationem mereantur, juxta auream sententiam S. Athanasii relati ex P. Sebastiano a S. Paulo Carmelita ab Ursaya loc. cit., n. 123, ibi: *Nimis falsa non sunt refellenda, ne habita fuisse credibilia videantur.*

(27. Historicus rationaliter attemperari prorsus debet in animi affectionibus, amoris et odii, aliter enim vel veritatem excedere, vel a veritate deflectere facile erit, siquidem ut præclare dicitur per vulgare effatum, amor, et odium nomen imponitur.

(28. Historicus ne vel leviter etiam semel mentiri debet; nam qui mendacium ponit, fidem in veritate sibi tollit, dum semel malus semper præsumitur esse malus: textu expresso in c. *Semel malus* 8, de Regulis Juris in 6, in eodem genere mali, ut explicat Glossa ibid. et nisi de emendatione appareat; c. *Ferrus* 8, dist. 50, et Tullius pro C. Rabinio Posthumo nos admonet: « Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea, etiamsi per plures Deos juret, non oportet. »

(29. Historico abs re facta, et auctoritates mutilanti, vel documenta sibi adversa reticenti nulla merito habenda est fides, sic namque sufficiens ingeritur suspicandi motivum voluisse fallere, et ex tacitis asserta non subsistere, ac ipsimet sua proinde fore dubia indicatur, consequenter merito, etc.

(30. Historico cœvo magis standum est, quam non cœvis, testis enim cœvus rem gestam propriis oculis conspiciere potuit, minime vero testes non cœvi, atque ideo ille istis præferendus est: hinc communi criticorum calculo facta antiqua per testes cœvos, vel proxime cœvos non probata, pro fabulosis, vel admodum dubiis habentur, et Cicero lib. 1, qq. Tuscul., cap. 12, ait: Auctoribus uti optimis possumus, quod in omnibus causis, et debet, et solet valere plurimum quidem omni antiquitate, quæ quo propius ab ortu, et divina progenie, hoc melius et fortasse quæ erant vera cernebat.

(31. Historicum critica maxime decet, si christiane fiat, id est si spretu et mordacitate ablegatis, sui pompa, et ingenii ostentatione semotis, æquitatis solius, ac veritatis amore fiat; etenim sic reus nullatenus apparebit in conspectu Domini, et absque alterius læsione culpabili falsa a veris latius secernentur, nec non scribendi cum veritatis vel proximi oppressionem, et absque proportionato rei examine facilitas obstruetur, vel saltem juste confundetur; est enim critica, ut optime tradit P. Honoratus a S. Maria, tom. I Animadv. in regulas Critices, dissert. 1, art. 1, ars judicii ferendi de factis historiam constituentibus, de operibus ingenio partis, de eorum variis lectionibus obviis; de sensu,

stylo, et auctoribus. Hinc termini *criticus* et *criticare* a græco ducti, ut vides, idem sonant, ac *judex*, et *judicare*; unde apud medicos dies critici appellantur illi, in quibus judicium faciunt de morbis maxime acutis, ut sunt dies 7, 14, 21.

(32. Non videtur in Historico laudabile quædam præsertim ecclesiastica historice credita in dubium vertere, aut negare per principia levia, vel non nisi probabilia; quippe ad minus inutile preditur, quæ pie creduntur vel devotionem fovent, ac sufficienti sunt suffulta fundamento, quod in dubium per levia citentur, aut per solum probabilia negantur; secus autem si principia adducerentur certa, prorsusque ineluctabilia, sic namque falsitas detegitur, quæ veritati pleno jure cedere debet; et ex alia parte ad devotionis ac pietatis fomentum simul et incrementum vera non desunt media, nec per falsa enarrari egent Dei mirabilia; hinc insipienter quis miracula effingeret ad divinæ fidei mysteria suadenda, cum vera adsint innumera.

(33. Licet sola facti possibilitas ad factum astruendum haud valeat, sufficit tamen gravis auctoritas, vel accurata experientia. Ratio 1 partis est, quia esto ab actu ad potentiam teneat consequentia, non tamen e contra a potentia ad actum, prout attendenti per se notum est. Ratio 2 p. est, quia quod gravi constat auctoritate, nititur testimonio vel Dei, vel hominum omni prorsus fide dignorum. Ratio 3 p. est, quia nemo inficias ibit, quod experientia constat ex iis colligi, quæ sensibus patent, eorumque recto usu firmiter deprehenduntur, quæque oculatum testimonium referunt; experientia enim nil aliud est, quam cognitio per sensibilem usum reperta, vel ex frequenti effectuum observatione inducta; indeque jure omni, experientia habetur pro rerum magistra.

(34. In factis historice credendis apprime circumstantias attendere opus est omnes tum rei, seu internas, quæ videlicet ad ipsammet rem spectant, tum scriptorum, seu externas, quæ nimirum testimonia concernunt ea, quibus nitimur, atque ad credendum ducimur: quoties enim circumstantiæ tales compariantur, ut rarissime inveniuntur cum falsitate conjunctæ, rationabiliter enarratis præstatur fides, et assensus: si autem e contra sint, nempe tales, ut sæpius falsitatem inducant, merito eis vel non præstatur assensus vel falsitas tribuitur; in primo namque casu veritatis apparet certitudo moralis, sufficiens in iis quæ nobis physice constare non possunt, secus autem in secundo, sicut est clarum. Generatim igitur, antequam de facto Historico judicium feratur, attente considerandum est quod optime ait Fortun. a Brixia part. II Logices, art. 4, scilicet: num ex circumstantiis aliqua, moraliter saltem, ratione loci, personæ, vel temporis, sit impossibilis, num una ita cum altera pugnet, ut ambæ simul in ipso facto componi nequam possint; si namque aliqua sit impossibilis, vel illarum una adversetur alteri, jam factum vel nullam, vel non nisi dubiam

meretur fidem, utpote quod hoc ipso, vel plaue falsum, vel apprime dubium. Si autem in circumstantiis nulla falsitas, nullaque oppositio occurrat, factum censendum quidem possibile, at minime illico credendum illud revera contigisse, nisi ea quoque adsit auctoris, vel testis conditio, ut plane dignus ille sit, cui fides adhibeatur; atque ex his liquido depromitur, unde ferendi sumus ad unum potius quam aliud credendum ex his quæ nobis gesta proponuntur, vel facta negantur (49).

Opera genuina, et authentica a falsis ac suppositis per quinque potissimum capita discerni possunt. Primum est constans ac perpetua traditio, idque luculentissime evincitur ex D. August. lib. xxxiii, contra Faustum, cap. 6, ubi efficacissime ac sublimissime, prout suum, ex prælaudato capite contra Manichæos demonstrat apostolicas scripturas, sacrosque scriptores pro genuinis authenticisque habendos esse: atque ex eod. capite genuinos Hippocratis libros a falsis sub ejusdem nomine prolatis esse secretos docet; imo Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque hujusmodi auctorum libri, ait, quod non noverint homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua: atque idem affirmat de scriptoribus ecclesiasticis; et inde subnectit: « Sed quid pergam in longe præterita? ecce istas litteras quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitæ hujus nostræ, vel illas cujusquam Fausti esse, vel has neget esse meas, unde convincitur, nisi quia illi, qui nunc ista noverunt, notitiam suam ad longe etiam post futuros continuatis posterorum successioneibus trajiciunt? Quæ cum ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi dæ-

HOMICIDA, HOMICIDIUM.

SUMMARIUM.

1. Homicidium unde dictum et quid sit? — 2. Talis cædes facta ab homine appellatur semper homicidium, quomodocunque quis hominem occiderit, et assignantur varii modi, quibus potest perpetrari homicidium, usque ad num. 15. — 16. Homicidium dividitur in voluntarium, et casuale. — 17. Homicidium voluntarium aliud est directe aut indirecte, tale, et quodnam sit utrumque. — 18. Homicidium casuale quodnam sit? — 19. Homicidium volunta-

(49) Præter auctores hic laudatos, regulasque ab his excerptas legendas cum primis P. Labrus. Sed de abusu artis criticæ adde Petri Laxeri exercitationes tres Romæ annis 1754 et 1755, ex Salomonii typographio emissas, 1. De Arte critica et generalibus ejus regulis ad Historiam ecclesiasticam relatis; 2. De Criticæ regulis, quibus vera falsis admixta secerni possunt; 3. De vera vel falsa traditione historica, regulisque ad eam internoscendam. (EDIT. BARBIELL.)

(50) Sed hic videndum, ne sumpta codicum antiquitas nos fallat. Regulis et arte critica opus est, ut de illorum ætate recte judicemus. Aliquot hujusmodi regulas Eusebius canonicus Pollinganus scite proposuit; sed plura invenies apud Trombellium in libello italico de Arte dignoscendæ mss. codicum ætatis, nuper Neapoli recuso. (EDIT. BARBIELL.)

(51) Amortius p. 4, ex auctore Problematis de S.

moniorum mendaciloquorum malitia, atque fallacia, consentiendo submersus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam tam fidem, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent, cum eorum cathedras usque ad præsentis episcopos certissima successione servaret, cum hoc qualiumcunque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta felicitate proveniat. »

(35) Alia quatuor doctissime recenset Cl. Mabillonius p. 2, de studiis Monasticis cap. 13, videlicet: Si aliqua manuscripta existimatione digna, eaque imprimis, quæ magis auctori cœva videntur, in fronte vel etiam in calce operis nomen ejusdem gerant (50). Si stylus fuerit ubique conformis alteri cæterorum auctoris operum, sicut et principia ac opiniones. Si scriptores, sive synchroni, sive pene synchroni ejusdem operis eidem auctori certo adscribant. Si denique nihil gestum in hoc opere legatur, quin cum historia sui ævi concordet; et ex his juxta contrariorum legem, ac disciplinam ratiocinare ad falsa, et supposititia eruderanda opera: hujusmodi namque momenta, uti perspicuum est, ad utrumque multa efficacitate donantur (51)

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36) De fide in judicio habenda Historicis, vide regulas a Rota traditas in Augustana Juris præcedendi 28 Febr. 1746, coram reverendissimo P. D. Bussio decan. Et in nullius, seu Tarraconen. Præcedentiæ 13 Maii 1746, cor. clar. mem. Millin. et 20 Febr. 1747, et 19 Junii ejusdem an. 1747, cor. R. P. D. Elephant. et 29 Jan. 1748, et 13 Maii ejusdem anni 1748, cor. hon. mem. de Vais.

rium injustum est peccatum ex genere suo mortale. — 20. Homicidium potest committi juste, seu licite, et injuste seu illicite. — 21. Homicidium juste et licite potest committi quatuor modis, qui assignantur et probantur, usque ad n. 24. — 25. Ad hoc ut occisio aggressoris sit licita, et cum moderamine inculpatæ tutelæ, requiruntur potissimum tria, scilicet causa, debitus modus, et tempus, et explicantur. — 26. Servato dicto moderamine inculpatæ tutelæ, licitum est occidere injustum aggressorem, etiam pro-

Dionysii Areopagitæ operibus quinque addit regulas ad opera supposita a veris discernenda: 1. Quando, inquit, liber tribuitur auctori ex fide monumentorum incertorum, aut evidenter falsorum, habetur fere infallibile suppositionis signum; 2. quando liber non potest auctori tribui, cui concedantur multæ inconvenientiæ, habetur signum probabile suppositionis: et si omnes inconvenientiæ sumantur simul, habetur signum moraliter infallibile; 3. quando scriptores Apologetici inter se non conveniunt, sed sibi invicem contradicunt in præcipuis capitibus et circumstantiis circa librum et auctorem illius, habetur signum suppositionis; 4. quando ex omnibus apologiis ne unica quidem fundat probabilitatem pro auctoritate libri defendendi; 5. quando ex omnibus apologiis sive simul, sive seorsim sumptis non potest conflare unum systema, quod cum chronologia auctoris consentiat. (EDIT. BARBIELL.)

defensione vitæ, et membrorum parentis, uxoris, prolis, fratris, sororis, conjunctorum, imo et extraneorum innocentium. — 27. Imo licitum est etiam occidere injustum aggressorem ob defensionem honorum temporalium si sint magni momenti, et aliter defendi vel recuperari non possint. — 28. Non licet autem occidere aggressorem ob defensionem rerum temporalium levis momenti. — 29. Fur tam diurnus, quam nocturnus servato moderamine inculpatæ tutelæ pro conservandis rebus magni momenti, nedum propriis sed etiam proximi, si aliter defendi et conservari non possint, licite occidi potest non tantum a laicis sæcularibus, sed etiam a clericis, et religiosis. — 30. Imo neque obstat, quod invasor sit in peccato mortali, et in æternum damnatur. — 31. Non licet tamen occidere injustum judicem, advocatum, et falsum accusatorem, et testem, quamvis ab eis grave damnum imminet. — 32. Nec licet defendere defensione occisiva ea, quæ nondum habemus, et ad quæ solum jus inchoatum habemus, et ea nos possessuros speramus. — 33. Nec etiam licet se defendere defensione occisiva contra injuste impediendam assecutionem hereditatis, legati, cathedræ, aut præbendæ. — 34. Nec pariter licitum est alium occidere pro necessaria defensione honoris et famæ. — 35. Homicidium voluntarium alterius injuste, seu illicite potest committi sex modis, qui assignantur et explicantur. — 36. Nullo casu licet auctoritate humana, sive publica, sive privata innocentem directe et per se occidere, etiamsi Tyrannus minetur Urbi excidium, nisi ei mittatur caput innocens. — 37. Indirecte autem, et per accidens aliquando licet, et assignatur quando. — 38. Innocentem directe occidere licet auctoritate divina. — 39. An judici liceat condemnare ad mortem probatum nocentem, si scientia privata noverit innocentem? remissive. — 40. Innocens ad mortem capiendus a satellitibus scientibus ipsius innocentiam potest eos licite occidere, si aliter nequeat se defendere. Secus non. — 41. Incarceratus nequit licite occidere custodes, ut effugiat. — 42. Nec ducti ad supplicium possunt licite occidere carnificem, aliosque ministros, ut evadant. — 43. An autem bannitus possit se defendere, et aggressorem occidere, et an ipse bannitus possit licite ab aliis occidi, remissive. — 44. Non licet auctoritate propria et privata occidere extra causam necessariæ defensionis. — 45. Nec licet patri filiam, aut marito uxorem in adulterio deprehensam occidere. — 46. Imo uxor et adulter possunt licite se defendere, et cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam occidere maritum injuste ad mortem invadentem. — 47. Licitum est matronæ honestæ, sicut et virginis violentem aggressorem, stupratorem, oppressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, occidere, si nullo alio modo vim impedire aut declinare possit. — 48. Auctoritate propria, et privata non licet occidere principem suum tyrannum. — 49. Nulla auctoritate humana, secluso Dei mandato, aut instinctu divino, licet seipsum directe occidere. — 50. Dei mandato, aut instinctu divino interveniente licet. — 51. Sicut etiam indirecte aliquando licet. — 52. Hinc potest miles, imo tenetur tempore obsidionis muros conscendere, stationem suam non deserere, quamvis moraliter certus sit se occidendum ab hostibus. — 53. Potest, imo debet episcopus, aut parochus tempore pestis per se, vel per alium sacramenta peste infectis administrare, quamvis sit

(1. Homicidium dicitur ab homine cædendo; est enim cædes hominis 1. *Si ita vulneratus*, ff. ad leg. Aquiliam, cap. *Si homicidium*, 51, caus. 23, quæst. 5. Unde homicidium definitur « quod sit violenta examinatio, seu occisio hominis ab homine facta. » Est in re communis, arg. cit. cap. *Si homicidium*. Dicitur autem notanter ab ho-

moraliter certus sese etiam ad mortem inficiendum. — 54. Potest uxor ad consolationem mariti peste infecti assidere ejus lecto, et religiosi, vel alii possunt hujusmodi infectis deservire ex charitate, et amicitia, quamvis certo moraliter timeatur similis mortalis infectio. — 55. Potest quis ad fugiendum incendium, ex alto se præcipitem dare cum certo periculo mortis. — 56. Potest quis ad evertendam turrim hostilem, aut perdendos hostes pulverem incendere, quamvis sciat se obruendum, sicuti et navem mergere vel incendere ne hostis ea potiatur cum gravi reipublicæ damno. — 57. Potest quis licite se objicere telo vel ictu ad servandum vitam principis, vel naufragio tabulam cedere amico naufraganti, vel morti se offerre pro injuste damnato ad ipsam. — 58. Licitum est mortem potius tolerare ex actu virtutis heroicæ, quam injustum vitæ aut honoris invasorem occidere. — 59. Potest reus licite non fugere, quamvis adsit commoditas; imo sponte se sistere Judici plectendum. — 60. Licitum est carnem vigiliis, abstinentiis, mortificationibus et flagellationibus moderatis affligere, quamvis inde vita sit abbrevianda. — 61. Potest quis licite abstinere a matrimonio, quamvis in cœlibatu mori debeat propter indispositionem. — 62. Seipsum occidens, an et quando privandi sunt ecclesiastica sepultura? remissive. — 63. Clericus homicida incorrigibilis debet deponi, et tradi curiæ sæculari ut moriatur. — 64. Clericus homicida ex proposito debet deponi ex altaris ministerio. — 65. Clericus homicida voluntarius etiam occultus ex concilio Tridentino omni ordine, beneficio, et officio ecclesiastico perpetuo carere debet. — 66. Ipse tamen clericus homicida voluntarius, ejusque socius potest obtinere, et obtentas retinere pensiones absque dispensatione non obstante dict. cap. 7, sessio. 14, concil. Tridentin. — 67. Homicidæ damnati, sive diffamati, quamvis remissi fuerint, non possunt habere officia, dignitates, nec testimonium ferre. — 68. Homicidæ non remittendi in loco, ubi degunt hæredes occisi, nisi habita pace. — 69. Homicidium commissum a laico, qui postea effectus est clericus, non punitur quoad personam nisi a iudice ecclesiastico. — 70. Sic clericus reassumens habitum post commissum homicidium gaudet privilegio Fori, quoad personam tantum. — 71. Homicidium committi mandans in personam unius, si committatur in personam alterius, non incurrit irregularitatem, quæ contrahitur in homicidio voluntario. — 72. Homicidium vere casuale, cum nulla penitus admissa fuerit culpa, et in quo non debeatur opera rei illicitæ, non facit quem irregularem. — 73. Homicidium committens veneno non gaudet immunitate ecclesiastica. — 74. Homicidii appellatione non venit mutilatio membri. — 75. Satellites nequeunt licite occidere malefactorem, quem jussi sunt comprehendere, et qui se opponit ne comprehendatur, nisi conjunctim concurrant sex circumstantiæ, quæ enumerantur. — 76. Alia quoad homicidas, et homicidia, remissive. — 77. Homicida, quando incurrat, vel non, irregularitatem? remissive. — 78. Homicida, quoad restitutionem, remissive. — 79. Sequentia decreta usque ad finem non indigent summaris, cum satis summarie sint relata ad n. 94. — 95 ad 98. De pœna homicidii jure ecclesiastico. — 99 ad 105. Nonnulla a Romano theologo. — 104 ad 114. Nonnulla ab editionibus Barbiellianis in auctorem corriguntur.

mine, quia si homo a fera vel bruto occidatur, proprie homicidium non dicitur, sed pauperies, tit. *Institut. et ff. Quadrupes pauperiem fecisse dicitur*. (2. Semper tamen talis cædes facta ab homine appellatur homicidium, quomodocunque quis hominem occiderit; l. 1, § *Occisorum*, ff. *Ad S. C. Syllan.* (3. Sive scilicet quis manibus hominem occiderit,